DE

# LYGDAMI CARMINIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

CAPESSENDOS

SCRIPSIT

LUDOVICUS BOLLE

DETMOLDENSIS.



DETMOLDAE

TYPIS MEYERIANIS.

1872.

Quum ante hos tres annos num magistri publici munere fungi possem comprobaturus de auctore carminum Tibullianorum tertii libri exponere iussus essem nec mihi per breve temporis spatium, quod ad scribendam illam commentationem concedi mihi potuit, praeter Dissenii, Rossbachii, Hauptii, Vossii editiones quae de hac re scripta leguntur pertractare liceret, valde mirabar, quod neque apud Vossium neque apud Dissenium quidquam commemoratum inveni, unde dubitandum esse liqueret, num carmina illa Lygdamea solo duce Amore composita essent. Qua de causa dubitanter sententiam meam protuli nec parvo gaudio affectus sum, quod homo ille doctissimus ad scientiam meam tentandam publice missus me plerumque recte iudicasse censebat.

Nec mirum est me tali laude incitatum cetera quoque, quae de eadem hac re scripta sunt, disquirenda mihi proposuisse, ut, si re vera, quae de auctore Lygdameorum carminum inveni, nova habenda essent, accuratiore scientia carminum Tibullianorum adiutus in publicum proferre possem. Nec prorsus spes me fefellit. Nam neque Teuffel iis, quae libris Tibullianis a se Germanice redditis praemisit, in dubitationem vocat, quae Lygdamus de amore, de die natali, de morbo dixit, neque quae Stumpe *) ad fulciendam sententiam quandam similem iis, quae ego iudicanda esse de Lygdamo censebam, protulit, talia sunt, quae Teuffellium commoverent, ut in eius sententiam discederet. **)

*) Car. Stumpe, de Lygdami, qui vocatur, elegiis. Diss. acad. Halis 1867. Auctorem non vidisse miror, quam inter se repugnent quae initio et quae sub finem disputationis protulit. Nam non intellego, quid sibi velit disquirere, utrum Neaera uxor an sponsa fuerit, utrum Lygdamus libertinus an ingenuus, utrum divitem an pauperem eum fuisse ex unguentis, libri ornatu, iustis funebribus concludatur necesse sit et quae sunt similia (cf. p. 14—17), si postea adiungitur Lygdamum aut adversam hominum sibi notorum fortunam pingere voluisse aut omnia cogitatione effinxisse (cf. p. 23).

**) Cf. Teuffel, gesch. der röm. liter. Lpz. 1870 p. 444. Inde comperi de Stumpii dissertatione. Quam eodem loco affert dissertationem Törnebladhii quod cognovisse mihi non licuit doleo.

Conari mihi igitur liceat exponere, quid de Lygdamo sentiam, cui disputationi adiiciam, quomodo nonnullos locos Lygdameos mutari velim.

Ac primum quidem virorum doctissimorum, Vossii, Lachmanni, Dissenii, Gruppii aliorum opera effectum est, ut carmina Lygdamea Tibullo non iam tribuantur.*) Neque Gruppii**) sententia, qui Ovidium horum carminum auctorem esse contendit, non refutata habenda est.***)

Quae quum ita sint fatendum est quae ad Neaeram scripta legantur illi, qui se auctorem esse praedicaverit,****) tribui debere, Lygdamo. Qui utrum Tibulli tempore vixerit necne non constat, quamvis Teuffel †) censeat eum fuisse aequalem Tibulli, natum anno 711, quem ipse indicaverit. ††) Atque commotum se esse dicit Teuffel, ut in hac sententia maneat, quod et Tibullum Lygdamus et Ovidius Lygdamum imitati sint nec non quod eius carmina Tibullianis inserta inveniantur, id quod fieri non potuerit nisi Lygdamum ex Messalae amicis fuisse concedatur. Sed in eius argumentis inesse nonnulla mihi videntur, quae inter se non conveniant. Nam quum Teuffelio ipso recte praedicante †††) Lygdami carmina ante mortem ††††) Messalae Tibullianis immixta esse nequeant, id ante annum 760 *) factum non est. Tamen Ovidium singulos locos horum carminum, quae, antequam inter Tibulliana legebantur, nota non erant, nusquam enim Lygdami poetae nomen traditum habemus, **) iam anno 740 vel 751 imitatum esse necesse est, si locus, quem communem videmus Ovidii amoribus cum Lygdami carminibus, a Lygdamo profectus, ab Ovidio expressus est. ***) Sed quum Ovidium Lygdami sibi ignoti carmina imitatum esse verisimile non sit, Lygdamus Ovi-

---

*) cf. Des Alb. Tib. gedd. übers. v. Teuffel p. 36—44. — Stumpe l. c. p. 1—14.

**) Die röm. elegie p. 133 sqq.

***) cf. Teuffel l. c. p. 44 sqq. Stumpe l. c. p. 19—22. Hertzberg Hall. jahrb. 1839 I p. 1024 sq.

****) cf. el. 2, 29.

†) l. c. p. 47—50.

††) cf. el. 5, 17.

†††) l. c. p. 50.

††††) vel antequam (teste Hieronymo ad a. Abr. 2027) memoriam amisit, biennio igitur ante mortem.

*) cf. Ov. ex Ponto I 7, 29 sq. Ovidius autem anno 762 relegatus est, cf. ex Ponto IV 13, 40, quod carmen anno 767 compositum est.

**) Neque de Lygdamo in Ovidiano epicedio Tibulli cogitatur, sed sola carmina vere Tibulliana respiciuntur. Cf. Ov. am. III 9.

***) cf. Ov. am. II 14, 23 sq. et Lygd. 5, 19. Alteram editionem amorum Ovidianorum ante annum 752 factam esse constat, cf. Teuflel gesch. d. röm. lit. p. 454, 2.

dium imitatus esse videtur. Neque quod de hoc loco statuendum est de ceteris negari poterit.*) Nam quamvis parvi ducam, quod Stumpe**) dicit, fieri non potuisse, ut Ovidius poeta clarissimus et optimus in imitationem tam mali poetae descenderet, tamen quales sunt loci, quibus idem legitur apud utrumque poetam Lygdamus imitaturus peccasse mihi videtur.

Liceat mihi pauca de hac re addere. Primus locus, quem eundem esse apud utrumque constat, legitur ap. Ov. trist. IV 10, 6 his verbis:

Editus hinc ego sum, nec non ut tempora noris,
Cum cecidit fato consul uterque pari,

ap. Lygd. el. 5, 17:

Natalem primo nostrum videre parentes,
Cum cecidit fato consul uterque pari.

Aptissime dicit Ovidius editum se esse, cum ceciderit uterque consul, non apte Lygdamus „primo diem natalem vidisse parentes," cum uterque consul ceciderit. Nec a Lygdami consuetudine alienum fuisse prave imitandi alios poetas studium infra videbimus.

Alter locus, quem iam commemoravi, est Ov. am. II, 14, 23:

Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis
Pomaque crudeli vellis acerba manu?

Lygd. el. 5, 19:

Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis
Et modo nata mala vellere poma manu?

Optime Ovidius fetum nondum editum appellat crescentem uvam pomumque acerbum, non bene Lygdamus se ipsum adolescentem et crescentem uvam et pomum modo natum.***) Neque intellegas, cur Lygdamus dixerit v i t e m  f r a u d a r e, nisi expressisse eum Ovidii versum concesseris, quum qualis et ubi haec vitis Lygdamea sit lateat, quam Ovidius respexerit apertissime pateat.

---

*) Nec plus quam duos locos huc pertinere contendam (el. 5, 17 et 19), quum a multis dictum sit: curva tardo vel tacito pede senecta, id quod et ap. Ov. a. a. II 670 et ap. Lygd. 5, 16 invenitur. Idem valet de ceteris locis, quos Stumpe l. c. p. 19 affert.

**) l. c. p. 19.

***) Equidem pro certo habeo Lygdamum Ovidianum illud „acerba" mutasse in „modo nata," quo magis quae Ovidius de fetu dixisset in hominem utero iam editum quadrarent

Neque deest locus, ubi Lygdamus alium poetam (Tibulli rationem non habeo) imitatus est. Legimus enim Lygd. el. 4, 10:

Farre pio placant et saliente sale,

quod idem legitur ap. Hor. c. III, 23, 20:

Farre pio et saliente mica.

Uter hoc loco alterius verba expressit? Ni fallor Lygdamus Horatii; quod si concesseris, cur idem de Ovidii versibus concedi posse neges?

Constat igitur Ovidium expressum esse a Lygdamo. Unde concludatur necesse est carmina huius ante annum 760 composita non esse. Nam, ut Stumpe*) iam monuit, Lygdamus tristia respexit, **) non ante annum 760 edita. Qua de causa Lygdamea carmina nec composita nec edita ***) sunt ante annum 760. Quomodo autem Lygdamus, qui se ipse natum esse anno 711 testatur, ****) se vitem crescentibus uvis et poma modo nata appellare potest in carminibus, quae vir quinquaginta annorum fecit? Efficta sunt, quae de die natali proferuntur, nec minus dubia ob hanc ipsam causam, quae de Romana origine el. 1, 2 leguntur:

Exoriens nostris hic fuit annus avis,

quamvis parvi aestimem, utrum Lygdamus Romanus natione fuerit an Graecus. Illud enim solum contendo consulto eum carminibus falsa inseruisse, quo maiorem fidem sibi pararet. Nam quid aliud secutus sit indicando diem natalem equidem non intellego. Neque facere possum, quin fatear hac de causa me eum tempore Tibulli cum Messala vixisse coniunctumque amicitia fuisse negare, quum non videam, quomodo fieri potuerit, ut qui ex amicis Messalae fuerit, nesciverit, quo die vel quo anno Tibullus fuerit natus. †)

Sed de hac re plura non addam, quum persuasum mihi habeam ex iis, quae de Lygdamo usque ad hoc tempus tradita sunt, expediri non posse, quo tempore, qua gente natus vixerit. Illud statuisse sufficiet doctum quendam hominem sive Lygdami sive alio quodam nomine usum ††) quae tertio libro Tibulliano

---

*) l. c. p. 22.

**) cf. supra p. 3.

***) cf. supra p. 2.

****) cf. el. 5, 17 et 18, qui locus nisi ad annum 711 pertinere non potest (cf. Stumpe l. c. p. 10 sqq.) Eadem illa elegia de inventute poetae queritur, eadem cum Ovidii tristiis locum communem habet.

†) Nam el. 5, 17 Lygdamus sine dubio Tibulli diem natalem indicaturus simulque Ovidium imitaturus peccat.

††) Quae res quamvis semper in dubio futura sit, tamen plane reiicienda non sunt, quae homines docti de voce Lygdami nomen Albii vertenti exquisiverunt. cf. Vosz Alb. Tib. u. Lygdamus. Tübing. 1810 p. XVIII sqq.

contineantur carmina in imitationem Tibulli composuisse Tibullianisque libris inseruisse.

Atque quomodo factum sit, ut Lygdamea carmina in omnibus codicibus legantur, quis est, qui dicat? Saepius carmina ab hominibus doctis posteriorum temporum libris poetarum immissa in manuscriptis exstare, notum est nec iam dubitatur, quin singula carmina Horatiana vel singuli versus ab Horatio profecta non sint. Nec tamen quisquam contendat omnes hos versus spurios factos esse a viris cum Horatio sive Maecenate amicitia coniunctis. Cur simili modo Lygdami carmina Tibullianis inserta esse cogitari nequit, praesertim quum totum librum facilius inseri manuscriptis quam nonnullos versus vel nonnulla carmina hic illic dispersa appareat.

Quibus expositis mirum non est, quod quae homines docti de Lygdami amore, paupertate, morbo dixerunt, num versa sint dubito. Nam si quae Tibulli de rebus domesticis vel amatoriis protulerunt, pro veris habenda sunt, sed si homo doctus certum quendam poetam imitaturus se amare vel aegrotare dixit, dubitare licet. Nec difficile est demonstrare quae Lygdamus tractanda sibi proposuerit aptissima esse ad cumulandas phrases eorum quae animus poetae ipsius sentiat ratione non habita. Aut enim res saepissime tritae aut ab ipso Tibullo petitae ingenti phrasium copia circumscribuntur.

Quae vera esse singulorum carminum argumentis pertractatis confirmare mihi liceat.

Iam quod prima elegia carmina puellae se missurum dicit, quibus eam in gratiam revocet, nec primus nec solus est, qui libello tale quid mandaverit; Ovidius*) quamvis non ad puellam, tamen ad patriam carissimam recuperandam carmina Romam iam antea miserat. Neque quae ad ornandum libellum pertinent ipse invenisse mihi videtur, quum et satis nota et ab Ovidio eodem modo addita fuerint. Id solum ipsi tribuendum puto Lygdamo, quod, quo maiorem vim habeat puellae hortatio, perverse Musis mandata sunt, quae optime Ovidius libello ipsi, optime Horatius**) Vinio rustico mandaverint. Perverse eum fecisse patet, quum quid Musis sit cum re tam vili, tamque ab earum negotiis aliena vix quisquam intellegat.

Quod altero carmine se moriturum finxit dolore confectum, nec rem mira quadam sagacitate excogitatam protulit, quum amantes facillime de morte cogitare notum sit, nec mihi dubium videtur, quin Tibulli ipsius loco, qui el. II 6, 19 et 20 legitur:

---

*) cf. trist. I, 1.
**) cf. ep. I 13.

Iam mala finissem leto, sed credula vitam
Spes fovet et fore cras semper ait melius,

commotus se mortuum induxerit, praesertim quum tali argumento optime inseri posse manifestum sit, quae Tibulli vestigiis apertissime pressis de sepeliendo ipsius corpore, de Neaerae matrisque querelis, de titulo sepulcro inscribendo eum dixisse videamus.*)

Neque quae carmine tertio continentur Amore auctore conscripta esse debent. Nam ut omittam, quam saepe a poetis omnium temporum divitias despiciendas esse uberrime disputatum legatur, Tibulli el. I 2, 65 sqq. doceri poterat optime puellam pecuniae praeferendam dici, qua in re describenda quid perverse fecerit, infra videamus.

Atque ut iam ad quartam elegiam veniamus, nonne Tibullus el. I 4 Priapum sibi enarrantem finxit, quomodo puerorum animi ad amorem pelliciantur? Numquid aliud Lygdamus fecit, qui Apollinem sibi vaticinantem describit, qualis sit Neaerae animus et qua potissimum re in gratiam revocetur? Id solum mutavit in diiudicando primo carmine iam vituperatum, quod alium deum a re tam vili mirum quantum alienum sibi sumpsit, neque aliam ob causam, nisi ut ornatum Apollinis a Tibullo** paucis verbis indicatum uberrime describeret.

Idem de quinto carmine statuendum est neque quisquam Tibulliano carmine I 3 in comparationem vocato id ipsum Lygdamum imitandum sibi proposuisse negabit.

Quin etiam elegia sexta Tibulli carmina exprimi mihi persuasum habeo, quamvis et alias homines dolorem ex amore captum vino expellere soleant. Ut enim Tibullus***) Deliae domo exclusus ad Bacchi auxilium animo adverso nec tamen curis oppressis ad preces redit, ita Lygdamus frustra convivio et laetitiae totum se tradere conatus querelas repetit. Nec fugere eum potuit optimum carminis argumentum a Tibullo el. I 5, 36 sq praeberi, haec enim illic leguntur:

Saepe ego tentavi curas depellere vino:
At dolor in lacrimas verterat omne merum.

Sic demonstrasse mihi videor res ipsas a Lygdamo tractatas ita comparatas esse, ut a quovis homine nec amore nec curis nec dolore affecto carminibus solam in imitationem compositis concludi possint. Sed hoc quoque me commovet, ut simulatum

---

*) cf. Tib. I 6, 5 sqq. 55 sq.
**) cf. el. II 5.
***) cf. el. I 2.

esse amorem Neaerae existimem, quod persaepe poetam aut solo locutiones hinc illinc petitas cumulandi aut Tibullianorum versuum exprimendorum studio excitatum esse vidi ad rem male tractandam.

Atque ut iam de priori vitiorum genere dicamus, facere non possum, quin nonnullos locos afferam, ubi nimio epithetorum amore ablatus miram, ne dicam ineptam verborum coniunctionem effecisse mihi videatur. El. 3, 9 et 10 legitur:

Tunc quum permenso defunctus tempore lucis
Nudus Lethaea cogerer ire rate.

Quid quaeso hoc loco „nudus"? Divitiis enim colligendis poeta se cum Neaera vivere velle opponit, donec „nudus" in Orcum meaturus sit. Num divites veste magnifica indutos, pauperes nudos in Charoneo navigio sedentes sibi finxit?

Simili ratione el. 4, 14 dicit:

Lucina . .
. . frustra immeritum pertimuisse velit,
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto
Nec laesit magnos impia lingua deos.

Vides, quam male quod primo versu pro certo posuerit altero in dubitationem vocetur: primum enim se immeritum appellat, tum addit: si pio animo sum neque scelera commisi. Perverse eum fecisse Horatii s. II 6, 14 in comparationem vocato intelleges, ubi ad vocem domini nihil additum invenitur.

Porro el. 4, 42:

Edidit haec dulci tristia verba modo,

de quo loco non habeo quid dicam, quum nesciam, quomodo dulci modo tristia verba edantur neque actores celeberrimos nec Romanorum nec nostrorum temporum tali voce usos esse putem.

Neque aliter comparatus est el. 1 v. 7:

Carmine formosae, pretio capiuntur avarae,

quum cur avarae puellae formosae esse nequeant lateat.

Porro el. 6, 5:

Care puer, madeant generoso pocula Baccho.

Languere*) hic epitheton: care patet nec languere solum, verum etiam

---

*) Tibullus nec epithetis pravis nec supervacaneis usus est, quare versum, qui I 2, 8 legitur:

et (sc. te) Jovis imperio fulmina missa petant

mutandum censeo. Quo enim spectat „imperio Jovis"? Ad missa pertinere nequit, quum fulmina a

contra sensum appositum esse, quum poetam, qui amorem vino pellere studeat, de caritate pueri cuisdam cogitare dedeceat. Adiectum esse epitheton, quod „care puer" in formulae usum abiisset, quamquam Dissenius recte suspicatus esse mihi videtur, tamen hoc usu effici, ut minus inepte poeta fecerit, negem.

Non tam inepta quam quaesita verborum coniunctio mihi videtur, qua usus est el. 3, 15: „nivea lux." Eodem pertinet cumulatio epithetorum, quam v. c. el. 3 sub finem adhibuit, quae dicendi ratio poetae simplicis se suique animi motus describentis non est. Eodem pertinet, quam Dissenius iam vituperabat, quaesita colorum oppositio.*)

Contra hanc simplicitatem, bonorum poetarum elegiacorum propriam persaepe Lygdamum peccasse et Dissenius notat et supra in diiudicandis argumentis iam monui;**) tamen nonnullos locos afferre liceat, quibus demonstretur, quam perverse ad res plane exiguas vilesque grande dicendi genus adhibitum inveniatur. Cf. 1, 15 et 16:

Per vos, auctores huius mihi carminis, oro
Castiliamque umbram Pieriosque lacus.

Qualem apparatum! Ac si quaeras, ad quamnam rem eripiendam talia moveantur: ut Musae libellum Lygdameum in Neaerae domum portent. Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Porro el. 4, 29—34:

Candor erat qualem praefert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus,
Ut iuveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas,
Et quum contexunt amarantis alba puellae
Lilia et autumno candida mala rubent.

Nonne ridicula est cumulatio comparationum, quamvis apud Vergilium et Homerum eam inveniri constet, ad rem tam levem describendam arrepta?

Nec elegantis scriptoris futurum non fuisse has tres comparationes particula et inter se coniungere omittam, quum Apollinem triplici modo erubuisse verisimile non

---

Jove ipso mittantur neque ab altero quodam eius imperio. Itaque cum „petat" iungendum est. Sed quid tum „fulmina missa"? Scribas, quaeso, „fulmina iusta."

*) cf. 1, 19; 2, 10; 18; 4, 30; 5, 15.

**) p. 5 sq.

sit, ne dicam de mira illa media similitudine, secundum quam maculosum corpus Apollini tribui oportet.

Denique el. 4, 45—50:

Sed proles Semeles Bacchus doctaeque sorores
et quae sequuntur.

Indicant hi versus, quo iure cura deorum poeta versu 43 appelletur. Derideri enim existimes Apollinis vaticinia, quum tam exiguae rei talis verborum copia adhibeatur, qualis ne ad risum quidem faciendum Horatio in eadem re necessaria videbatur, qui*) simpliciter Tiresiam dicentem finxit:

O Laertiade, quidquid dicam aut erit aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

Quibus expositis iam non mirum est, quod permultis locis poeta phrases collegisse easque contexuisse mihi videtur solam ob eam causam, ut phrases connecterentur sensus ratione non habita. Nonnullos conferas quaeso. Ac primum quidem el. 4, 64:

Tu modo cum multa brachia tende prece.

Omnes interpretes consentiunt, inepte dicere poetam se brachia tenturum h. e. supplicem se praebiturum, ut puella in matrimonium petatur. De sensu igitur cogitasse non videtur poeta, sed de inserenda locutione, quae est: „multa prece brachia tendere."

Porro el. 5, 2:

Unda sub aestivum non adeunda canem.

Rectissime animadvertit Dissenius in hoc versu laudem inesse debuisse, quam legimus in proximo demum disticho. Cur igitur hoc versu usum esse poetam dicas? Nempe ne praetermittat pulchram phrasin: „sub aestivum canem non adeunda unda" neve simul omittat: „Cum se purpureo vere remittit humus" (v. 4).

Porro el. 6, 13—16:

Ille facit dites animos . . . et quae sequuntur.

Supervacaneos esse hos versus iam inde intellegitur, quod vix cogitari potest, quorsum spectent. Nam ne accepta quidem coniectura Lipsii: m i t e s (v. 13), quid sibi velit poeta suspiceris. Quis quattuor versibus priorem quandam vocem explicet, quam nec collocatione nec sensu efferendam curaverit? An v. 11: m i t e maiore quadam vi dictum putaveris loco vel sexcenties lecto?

---

*) s. II 5, 59 sq.

Nec tamen quidquam reliquum est, nisi ut hos versus sic intellegamus: Bacchus curas meas tollat, bibite mecum amici neve negate mite certamen. Mites enim facit animos Amor, Bacchus autem nimium severos poena afficit. Quanto melius dixisset: bibite mecum amici neve negate mite certamen, Bacchus nimium severis irascitur poenaque afficit, id quod protulit v. 22.

Cur igitur hos versus intulit? Nimirum ut verba faciat, phrases componat, versuum numerum augeat.

Non minus hoc verborum faciendorum studio solo poetam ad carmina componenda adductum esse vero amore non incensum patet ex el. 3, 11—26. Quibus versibus poeta causam aperire studet, cur a diis non divitias, sed Neaeram petiverit. Quam profert? Divitias nihil prodesse, quum invidiam parent, curas non levent, a Fortuna sola impositas ab eademque levatas. Quibus expositis exspectaveris nunc saltem per oppositionem veram felicitatem in amore Neaerae positam laudatum iucundamque vitam communem celebratum iri, cuius laudis bonam conclusionem vv. 25 et 26 facturos fuisse manifestum est. Sed nihil invenies nisi poetae iucundam esse paupertatem cum Neaera, pro nihilo divitias; nec causam huius modestiae puella sibi fingere poterat aliam, ac quam poeta in prioribus tot colis interrogativis exposuit, nihil gaudii inesse in opibus. Nec vitio vertenda est Neaerae, quod intellexit Lygdamo, quo esset animo, paupertatem semper iucundam fore sive cum sive sine coniuge. Elegantis poetae fuit dicere: omnes divitias libentissime se abiecturum paupertatemque laeto animo perpessurum, si hac re amorem Neaerae redemturus sit; cui voto laus mutui amoris adnectenda erat, quae puellam alliceret ad talem felicitatem simulque amoris Lygdamei gradum aperiret.

Sed nec ullum amorem habebat nec qualis sit amoris felicitas sentiebat nec phrases ad depingendam communem vitam idoneas excerptas tenebat aut si tenebat versibus includere nesciebat.

Ceteros huiusmodi locos permultos omittam addamque hoc solum eodem, quod exposui, studio factum esse, ut Lygdamus rariora quaeque summa diligentia sibi sumeret. Neque mireris ridiculum nonnunquam sensum tali studio ortum esse.

Sic el. 4, 53 Apollo poetae dicit:

Pro qua sollicitas caelestia numina votis,

unde facillime concludi possit carminibus vota mandasse poetam.

Eodem modo el. 4, 40, ut proximo versui rara miraque locutio, quae est: „digiti cum voce loquuntur“ melius tribuatur, tristibus verbis „felices cantus“ Apollo

dicitur praemisisse, quos, quum et quae sit eorum natura et cur inserantur interpretes adhuc lateat, fortasse sic interpreteris, ut dicas quasi exemplaria a deo poetae propositos esse, ut deterreretur, nam aliis quoque locis*) Apollo poetas ne maiora sequantur monet. Qui mos hic bene admittatur.

Sed ut ceteros huiusmodi locos omittam, solum el. 2, 13:

Sed veniat carae matris comitata dolore

afferre mihi liceat, quocum conferas el. 3, 8:

Inque tuo caderet nostra senecta sinu.

Tibulli imitatio manifesta est, quum I 3, 78 legatur:

sed acrem
Iam iam poturi deserit unda sitim,

I. 2. 11:

Et mala siqua tibi dixit dementia nostra

I. 4. 24:

Iurasset cupide quidquid ineptus amor

I 8, 32:

amplexus aspera barba terit.

Neque negari potest eleganter hoc circumscribendi genus adhiberi, id quod inde quoque apparet, quod apud Propertium saepius invenitur nec non alienum est ab Horatii sermone, qui c. II, 6, 6 exclamat: Tibur sit meae sedes utinam senectae; — sed hoc dicam a Lygdamo hanc dictionem receptam esse non quod pulchra, sed quod rara ei videretur. Quam sententiam collatis Horatiano alteroque Lygdameo locis fulciri concedes, nam quum senecta maius quoddam spatium temporis significet bene Horatius senectae suae sedem precatur, male Lygdamus pro morienti sene cadentem h. e. occidentem senectam ponit.

Ac iam veniamus ad eos locos, ubi Lygdamus Tibullianos versus expressurus perverse fecit.

Compluribus locis**) iucundissime Tibullus usus est locutione, quae est: „ferreus est,“ quam Lygdamus quin suis versibus immisceret facere non potuit. Sed aptum locum eum elegisse negem, quum qui el. 2, 3 durus appellatur mox tanta mollitie se esse fateatur, ut dolore fractus moriturus sit. Ac mirari licet, quod Lygda-

*) cf. Hor. c. IV 15, 2; Ov. a. a. II 493; Verg. Buc. 6, 3.

**) cf. I 2, 65; 10, 2; II 3, 2.

mus ipse se perverse dixisse non intellexit, quum verba, quae ad contrariam illam sententiam traducunt:

Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro
Ingenio

quamvis invita vi attracta esse pateat. Nec melius qui ei puellam eripuit ferreus (el. 2, 2) appellatur, quod amore incensus nec non redamatus*) sibi felicitatem quaesiverit, qua uti Lygdamus nesciebat.

Alter locus est el. 4, 67—76, qui sine dubio in imitationem Tibullianorum versuum el. II 3, 11 sqq. compositus est ac ne in solam quidem imitationem, sed ob id ipsum, ut quod apud Tibullum legeretur exemplum Apollinis apud Lygdamum ne desideraretur. Ac primum quidem cur Tibullus Apollinis servitium in comparationem vocaverit in medio positum est. Ruri Nemesis, quam ut aspiciat, rus se meaturum, rusticos labores sibi impositurum canit, ut Apollo amore duce Admeti tauros paverit cultu divino, arte, templis neglectis. Quid simplicius? Nec mirum est, quod labores illos a deo susceptos accurate describit, ipse enim similes laturus est. Sed cur Lygdamus Apollinem pastorem in similitudinem vocaverit, equidem non intellego. Porro vv. 64 et 75 de precibus et querelis dicit, quorsum igitur rustici labores, quorsum recusatio „immitis dominae“ „coniugiique feri“ spectant? Neaera enim nec domina est nec esse vult precibusque commovenda dicitur, ut fiat. Preces igitur Apollini tribuendae erant, non labores.

Quam male denique quae Tibullus de poesi a deo neglecta dixit Lygdamus expressit! Ille enim ut labores deo ad describendum ipsius amorem tribuit, ita boves divinum cantum interrumpentes fingit, ut se quoque artem ipsam carissimam puella viliorem habiturum esse ostendat; hic cur Apollinem citharam avena permutasse dixerit, latet, ni forte credas poetam quoque ad humiliorem poesin descensurum, quo magis Neaerae animum permoveat. Denique quae de fabula ipsa Tibullus v. 31 sqq., quae Lygdamus imitator v. 68 dixerunt compara, utri palma debetur?

Tertium locum addam el. 4, 85—94. Tibullus I 6, 57 et 58 dixerat:

Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
Me movet atque iras aurea vincit anus.

Matrem igitur laudandam esse, siquis filiam vincere vellet, Lygdamus quum intellexisset nec, qua erat natura, male se rem gessurum ratus, si patri quoque laudem

*) Liceat mihi hoc vocabulo uti praeeunte Cicerone de am. 14, 49.

tribueret, tantum crimen in Neaerae pectore inesse negabat, quod eius parentes non bestiae beluaeque, sed homines amabiles essent. Nec non aptus hic locus ei videbatur, cui res mythologicae insererentur, quas easdem apud Tibullum legi meminerat. Sed et rarissime talia apud Tibullum inveniri constat neque aliena sunt ab eo loco, quem hic Lygdami animo obversatum esse puto. Dico el. I 3, 67, ubi sedes sceleratorum hominum Elysiis campis opposita describitur. Nec mirum, quod Lygdamus occasione verborum faciendorum arrepta omnes, quas undique collegerat, phrases ad mythologica illa monstra pertinentes pleno cornu effudit. Sed ridicule attractas esse has comparationes, ineptissime opponi matri patrique Neaerae patet, equidem libentissime renuncio laudi me nec Chimaeram nec Cerberum nec leonem nec quae sunt similia iure appellari.

Idem, quae apud Tibullum simplici oratione, paucis verbis indicata invenit, permultis iisque tumidis verbis exponendi studium Lygdamus in imitandis Tibullianis versibus I 3, 51 et 52 ostendit. Nam quae Tibullus his verbis expressit:

Parce pater. Timidum non me periuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba deos,

ille el. 5, 7 sqq. foedissimus quibusque sceleribus allatis superare studet. Atque ut totus locus perverse compositus est, sic singula in sensum non quadrant. Ut cetera omittam conferas vv. 7 et 8:

Non ego tentavi nulli temeranda virorum
Audax laudandae sacra docere deae

cum Tib. I 6, 22:

seu visere dicet
Sacra bonae maribus non adeunda deae.

Cur mutavit Tibullianum illud „adeunda“ in „temeranda?“ Num feminis licuit sacra bonae deae temerare sicut licuit adire?

Satis multa contulisse mihi videor, quibus comprobetur in elaborandis carminibus Lygdamum non tam describendum verum amorem et commovendam Neaeram sibi proposuisse quam phrases colligendas imitandumque Tibullum. Neque contra me faciunt, quae omnibus interpretibus consentientibus libentissime concedam, nonnullas phrases optimas et a Lygdamo ipso profectas et in imitationem Tibulli ab eo compositas esse, quum et his locis et eo quod singula disticha plerumque bene perfecta sunt demonstrari mihi videatur singula verba singulosque versus pluris eum aestimasse quam tota carmina et quae iis efficerentur, id quod ii sequantur necesse est, qui Amore auctore et duce carmina componuntur. Quare, quamvis incertum sit, quo

tempore Lygdamus vixerit, illud persuasum mihi habeo, carmina, quae sub eius nomine Tibullianis inserta sunt, et post Ovidii et post Messalae tempora profecta esse a viro quodam docto, doctrinam prae se ferenti.

Atque ut iam ad alteram totius disputationis partem accedamus, quattuor locos afferre liceat, ubi mutandum esse aliquid contendam.

Primus est el. 4, 3 et 4:

Ite procul vani falsumque avertite visum:
Desinite in nobis quaerere velle fidem.

Non ita codices omnes. Ac primum quidem, ut de altero versu dicamus, Gyeti coniectura: in nobis pro codicum lectione: in votis optima est, quum perbene quae inesse debet sententiam exprimat: desinite me illicere velle ad fidem eorum, quae dicitis.

De priori versu uberius dicendum est. Verba, quae e codicibus Paris. et Ebor. rec. comportavi, sensum non praebent — de hac re dubitari nequit. Quare homines docti nunc in eam sententiam abierunt, praeferendam ceterorum codicum lectionem: vanum, ad ite procul supplenda esse insomnia, quibus poeta visum avertendum tradat. Dissenius copiose hanc lectionem defendit. Nihil dicam de supplendis insomniis, nihil de vano falsoque visu — haec omnia ferri posse concedam. Sed visus, quem somnium avertit mihi e notionibus maxime miris videtur esse. Audiamus quae Dissenius ad tuendam hanc constructionem, ad probandam talem imaginem affert. Complures locos advocat quibus somnia et visus discerni posse comprobet. E quibus soli duo huc vere pertinent, ex Horatii libris desumpti: Hor. s. I, 5, 84: „tum immundo somnia visu Nocturnam vestem maculant" et Hor. c. III, 27, 39 sqq: „an vitiis carentem ludit imago Vana, quae porta fugiens eburna Somnium ducit?"

De quorum altero Dissenius „hic", inquit, „imago ducit somnium et tu neges somnium adducere posse imaginem seu visum? Quodsi adducere potest, potest etiam avertere." Ni fallor, non potest. Nam, ut iam proferam, hoc loco de somnio dormientis sermo non est, quum non iam dormire poetam, si non e carmine, tamen e re pateat, Horatius autem nihil dicat, nisi, imaginem vanam ad lectum dormientis alicuius venire itaque somnium adduci, oriri. Atque hoc recte dicit, nam somnium series quaedam est imaginum menti dormientis obversantium. Neque minus apte dicitur, a somnio adduci imaginem vel visum. Eodem modo fortasse imago somnium avertens fingi potest, nam evanescente imagine vel visu non iam adest somnium. Sed dubito, num somnium imaginem possit avertere, nam finito somnio saepissime imagines illas visusque somnii ante oculos, in manibus habere nobis videmur nec credere volumus nos iam

esse experrectas, ut oculos rursus comprimamus, si amoenas, celerrime surgamus, si terribiles imagines videmus. Ac iam dixi de dormienti poeta sermonem non esse. Somnium igitur poetae abest, sed remanserunt visus et quidem terribiles, ut totum carmen docet. Quos expellere frustra conatus hoc quoque loco monet, ut abeant. Iam vides, quid velim. Alloqui puto poetam non insomnia absentia, sed visus praesentes, cruciantes, fidem sibi quaerentes. Itaque quod duo praebent codices: vani vocativus est, ad ite constructus, eodemque casu posita fuisse quae sequuntur contendo, ita ut scripsisse videatur poeta:

Ite procul vani falsique avertite visus.

Avertendi verbum nonnunquam sine casu, more neutrorum et significatione reflexiva usurpari constat; cf. Plaut. mil. II 2, 48: ecce avortit; IV 2, 82: ob eam causam aps te avorti; Verg. Aen. I 402: Dixi, et avertens rosea cervice refulsit; Gell. IV 18: id quum dixisset, avertit et ire in Capitolium coepit.

Poeta rariora sequutus tale quid libentissime arripuit. Corrupta est lectio inscitia librariorum, qui talem avertendi usum non noverant.

Sensum optimum proficisci ex nostra coniectura patet. Vanos falsosque visus poeta abire et se avertere iubet et desinere animo suo obversari.

Nec talem interpretationem contra poetae consuetudinem facere ex el. 6, 52 intellegas, ubi verba seria et cogitationes serias expellere frustra conatus postremo abire iubet his verbis: ite a me seria verba procul. Ceterum cf. el. 6, 37 nolique praetermittere Lygdamum hoc in imitationem Tibulli fecisse, qui el. I, 1, 75 dicit: vos, signa tubaeque, ite procul.

Sed pergamus ad alterum locum, qui est el. 4, 11 et 12:

Et tamen, utcunque est, sive illi vera monenti
Mendaci somno credere sive volent.

Locus quam maxime corruptus nec qua nunc exstat lectione ferendus, quum sensum aut nullum aut a poetae consilio prorsus alienum praebeat. Primum igitur videamus, quale sit poetae consilium. Versibus, qui antecedunt, poeta dixit: abeant vani somnii visus neu sibi credi velint. Divos enim et exta vera monere, somnia fallacia esse nec veritatem habere nisi in hominum superstitione. Pergit: tamen se deos precari, ut quae in somno viderit vana sint. Atque omnia, quae antecedunt, poeta ipsius quod tractamus distichi verbis: utcunque est complectitur, quae quid velint duobus colis particula sive incipientibus exponitur. Verbis, quae sunt: utcunque est nec non duobus colis, quibus circumscribuntur, opponitur: tamen. Sed quum

quamvis fallaces somnii visus sint poeta ad precandos deos pergat, prioribus quoque versibus hoc distichon oppositum est recteque scribitur: Sed tamen. Ac iam disquiramus, quaenam per utcunque est exprimantur. Mihi haec fere dicenda fuisse videntur: utcunque de ominum veritate iudicandum est, sive dii vera monent sive somnia — tamen efficiat et quae sequuntur. Atque haec ipsa inesse debent in verbis, quae sunt: sive illi vera monenti, mendaci somno credere sive volent, ad circumscribendum et explicandum verbum utcunque additis. Quid igitur illud: volent? Non quaeritur, quid homines velint, sed quid verum sit, non quid credant, sed utra pars recte iudicet. Quid porro tempus futurum? utcunque est explicatur, non utcunque erit. Corrupta igitur est vox: volent.

Sed cetera verba non minus perverse dicuntur. Quis est ille vera monens? V. 5 et 6 de divis et extis sermo est, de uno quodam solo nihil dictum invenias. Nec meliorum codicum lectio: moneri ferri potest, ne mutata quidem cum Dissenio illi in illis, quum pravum illud volent remaneat. Quid multa? Muta, quaeso, sic:

sive illi vera monere
Mendaces somni prodere sive solent.

Sensum, quem locus postulat, his verbis expressum esse patet. Sic enim intellegenda sunt: sive illi, h. e. divi, vera monere sive mendaces somni vera prodere solent, utcunque haec res se habet, tamen efficiat et quae sequuntur. Quod poeta epitheton mendaces ad somni addiderit itaque eos sibi vera prodere non videri indicaverit, ne mireris, cf. el. 6, 47 sqq.: „Etsi perque suos fallax iuravit ocellos. . . Nulla fides inerit,“ ubi simili modo ac hoc loco mendaces, epitheton fallax addidit, quod puellas semper fallaces esse persuasum sibi habebat, non quod aptum erat. Nec solis his locis in eligendis epithetis eum peccavisse ex iis elucet, quae supra (p. 7 sq.) dixi. Praeterea cf. el. 5, 27: vano nequiquam terrear aestu; el. 6. 33: imitari gaudia falsa.

Vera prodere quamquam non elegantissime, tamen pro Lygdami viribus satis bene dictum est Denique quomodo haec verba in codicum lectionem mutari potuerint, facile est intellectu. Mendaces facillime mutatur propter sequentem literam s in mendace vel mendaci, cui respondere debere somno homo quidam doctus mox intellexit. Nec minus librarii non tam negligentis levissima mutatio erat verbi, quod est prodere, in credere, unde facillime intellegitur, cur codices praebeant: monenti. Verbum, quod est: solent pro volent mutatio fere nulla est.

Tertio loco disquiram el. 5, 7 et 8:

Non ego tentavi nulli temeranda virorum

Audax laudandae sacra docere deae.

Rectissime pro deorum ex codicibus vera reposita est lectio virorum, quum de Bona Dea sermo sit. Recte Vossius: sacra docere deae dici non posse contendit, quum qui docere velit antea noverit oporteat. Sed quam coniectura posuit lectionem: cernere sacra deae pro vera habere non possum.

Nam primum versus finem malum esse: sacra docere deae Lygdamus vidisse non videtur, quum talem exitum persaepe admiserit. Ut exempla solo ex hoc carmine petita afferam cf. v. 4; 6; 10; 12; 16; 18; 32.

Tum quomodo Vossius sibi finxit locus corruptus non est. Ex similitudine enim versus sexti verba, quae sunt: cernere sacra deae primum in sacra nocere deae mutata esse ei videntur, tum in sacra docere deae. Nonne ex similitudine illa cernere nocere deae evenire debebat? Sed nulla exstat lectio, qua talia comprobentur. Nec, unde Vossius, recte petitur vera lectio. Nam, quod el. I 6, 24: „Tum mihi non oculis sit timuisse meis" a Tibullo dictum sit, de cernendis mysteriis hic quoque esse cogitandum ipse negabis, si animadverteris illic de poena caecitatis sermonem esse, hic autem de alio quodam morbo puniendi causa sibi imposito poetam verba facere.

Aliter igitur ad veram lectionem adeamus. Loco Tibulliano, quem attuli, sacra dicuntur: maribus non adeunda, hoc loco: nulli temeranda virorum. Quare illic de cernendis solum, hic de violandis cogitandum est, quamvis perverse poeta expresserit, quod sibi proposuit (cf. supra p. 13). E qua perversitate illud elucet mutaturum Lygdamum et maius scelus propositurum peccasse. Nec id solum fieri solebat, ut a viris sacra cernerentur, sed re vera a Clodio feminarum turbae se immiscenti violata esse notum est. De simili scelere cogitavisse mihi poeta videtur. Huic sensui aptissima est lectio unius codicis: movere; sacra enim movere est sacra instituere, parare; cf. Val. Flacc. III 540: „ac rursus thiasos et sacra moventem hunc (sc. Bacchum) tibi . . . crede dari," ubi sacra movere fere eodem sensu adhibetur.

Poeta igitur se sacra instituere non tentavisse laudat. Atque ita re vera scelus oritur, nam qui cernere tentat nec cernit non peccat, sed qui crevit; qui autem sacra parare tentat peccavit, licet ad finem non perduxerit quod sibi proposuerat. Nec hoc loco cogitationes nefariae enumerantur, sed facinora, ut versus proximi docent, ubi scelera gravissima commemorantur.

De lectione ipsa hoc dicendum est: locutionem ipsam Lygdameam esse ex eius consuetudine rariora verba inserendi sequitur; verbum, quod est movere mihi quidem propter praecedens nocere facillime in docere mutari videtur, sed quomodo

cum Vossio pro docere a docto quodam homine suppositum esse: movere ponamus, equidem miror.

Denique pertractandos mihi sumpsi el. 6. vv. 19—26:

Convenit ex aequo nec torvus Liber in illis
Qui se quique una vina iocosa colunt:
Convenit iratus nimium nimiumque severos:
Qui timet irati numina magna, bibat
Quales his poenas qualis quantusque minetur
Cadmeae matris praeda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor, illaque, siquast,
Quid valeat laesi sentiat ira dei.

Convenit ex aequo cum Heynio et Dissenio sic intellego: convenit sc. illos, h. e. adit illos. ex aequo, h. e. aequus, placidus. Item recepi lectionem versus 21. convenit iratus — severos. quam coniectura certissima Lachmannus restituit.

Sed quid de v. 20: qui se quique una vina iocosa colunt statuamus?

Ac primum quidem nescio, quomodo intellegi Binder velit quam proposuit versionem: welche sich selbst und zugleich ehren den wein und den scherz. Quanam re se colunt? Num bibendo? Hoc inest in proximis verbis: vina iocosa colunt. An non bibendo? Severitatem deus odit. An dixisse putes poetam placere Baccho, qui quamvis bibant modum tamen teneant? Spectat igitur hic quoque versus ad miserum illud versus 11: mite convivium (cf. supra p. 9)? Sed vide, quam aliena ab hoc loco talis interpretatio sit. Bibant, monet poeta, ne divinam iram sibi parent, nam Bacchum amare, qui modice bibant. Nihil addam

Si ad amicos pronomen se referri nequit, Bacchum respicit. Quod fieri posse notum est, quum Cicero ipse in enunciatis relativis pronominibus reflexivis vel possessivis pro demonstrativis utatur; cf. in Verr. 5, 49; p. Rosc. Am. 2 § 6; de div 1. 54 in. Sed num bonus sensus in hoc versu sic intellecto sine ulla mutatione verborum insit dubito. Nam quid inter cultum Bacchi et vini intersit nescio. Nam quid intersit nescio; tautologia igitur statuenda est, foedissima illa quidem, quum repetito qui, addito una aucta sit, nec quod his artificiis poeta voluit assequi, nimirum ut tollatur vox: iocosa, efficiatur. Ne multa.

Corruptum est verbum vina nec prave dixit Vossius propter similitudinem verborum una et vina alterum ex altero ortum esse. Sed illud non recte suspicabatur, tenendum esse: vina, mutandum una. Retine potius una et pro vina dic verba. Quae vox in sensum optime quadrat: Amat Liber illos, qui bibunt et inter bibendum

iocosis sermonibus utuntur, irascitur iis, qui nimium severi sunt, h. e. iocis non utuntur nec bibunt.

Severos melius iocantibus opponi quam, ut vulgata lectio postulat, ebriis, patet.

Levissimam esse mutationem, quae est verba pro vina, facile intellegitur. Oculi enim librarii abaltera voce verba in priorem eadem litera incipientem: una aberraverunt bisque hanc posuit, unde docti cuiusdam hominis emendatione: vina insertum est.


Quae quum ita sint, quin vera versus 23 sit lectio: hic, non dubito, e tribus codicibus a Vossio reducta. Spectare enim quod vulgo legitur: his ad v. 21 debet ridiculumque est dictu Bacchum tales poenas iis impositurum, qui iocis abstineant, praesertim quum propter Bacchi cultum neglectum nec non inhibitum Pentheus dilaceratus esse tradatur, de severitate eius nihil notum sit. Sin vero hic legeris, bonum sensum effici statim videbis. Tum enim ad explicandum v. 22 hoc distichon additur, quo proferatur, cur Bacchi numina magna timendaque dicantur.

Iam transeamus ad vv. 25 et 26. Nexus sententiarum patet. Dicit enim poeta: Sed etiamsi severiores erimus, nobis deus irasci non poterit, illa, causa tristitiae, sentiet poenam. Hanc sententiam, quam inesse interpretes consentiunt, poeta sic expressisse mihi videtur, ut duas res a deo peteret: primum ut a se amicisque timor ille procul sit, tum ut iram, qua utatur, in Neaeram vertat. Qua interpretatione nec sensus mutatur nec remanet, quam Vossius vituperat, particula que ad connectendas sententias contrarias adhibita.

Sed bonam factam esse huius versus dictionem nego, quum verba, quae sunt: siqua est ne suppleta quidem voce ira, quae magis vi arripitur quam suppletur, non langueant. Desiderari aliquid, quo significetur non necessariam poetae iram videri, sed tamen, si deus ea teneatur, Neaerae irascendum esse. Id quod exprimi mihi videtur, si pro: siqua est posueris: siquis sc. sentiat. Quae lectio quomodo currumpi potuerit manifestum est.

Haec sunt, quae de his quattuor locis dicenda mihi proposueram, finem igitur totius dissertationis facere licet.

---


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 092 762 A